

cognoscetur. Hujusmodi plura, & propemodum infinita possent adduci, si pluribus opus esse arbitraremur. Satis enim, ni fallor, ex his paucis innotescit, Hebræorum accentus non tantum ut sententiarum & periodorum fines indigint; sed ut varias simul vocum constructiones innuant, & per has ab ambiguitate, si qua lateret, eas liberent, esse Scr. S. adjectos. Falsa proinde est illa multorum sententia, qui accentui cuiquam valorem quendam perpetuum solent attribuere, v. g. quod Silluck perpetuo punctum, Atnach duo puncta &c. designent. Qua de re scribit Elias Hutterus ante præfat. ad edit. Bibl. à se procuratam p. 1. *Atnach dicit medium colon, Tiphcha comma, Tbebbir comma, Jetiph comma, Sakephkaton comma, Sakephgadol minus comma, paschta comma, Segolta minus colon, Sarka comma, Rebbia duplex comma; Gereschajim, Geresch, Tiphcha, Schalschelet, comma; Carnepbara colon: Paser minus colon.* Quam vero sententiam expugnavit copiose pariter ac solide B. Wasmuth. vind. p. 2. c. 2. obj. 2. p. 359. & Instit. Accent. Axiom. I. n. 2. Weim. Us. accent. p. 52. & 54. estque illius falsitas iam pridem in aperta luce posita, & pluribus patebit per subsequenturam tractationem, quæ, faxit Deus! succedat feliciter.

Dictum I. Gen. XI, 10.

שֵׁם בֶּן-מֵאָת שָׁנָה וַיֹּלֶד אֶת-אַרְפַּכְשָׁד שְׁנָתַיִם
אַחַר הַמְּבֹרָא:

*Semus fuit centum anno-
rum,*